

OFFICIA PROPRIA
DIOECESIS ESSENDIENSIS

TOMUS ALTER

Die 5 iunii
S. BONIFATII

Episcopi et Martyris

II classis

Omnia de Communi unius
Martyris, præter ea quæ hic
habentur propria.

AD MATUTINUM

In I Nocturno lectiones A
Miléto, de Communi unius
Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

Bonifátius, ántea Winfríduſ appellátuſ, apud Angluſ natuſ eſt exeúnte ſæculo ſéptimo, et ab ipſa infántia mundum averſátuſ, vitam monáſticam in votis hábuít. Cum eiſ pater ánimuſ ſæculi illécebruſ permutáre fruſtra tentáſſet, monáſteriuſ ingréditur, et ſub beáti Wolphárdi diſciplína ómnium virtútuſ ac ſcientiárum géneré imbúitur. Annuſ agens trigéſimuſ ſacerdótiuſ inſignítur, ac verbi divíni prædicátor aſſidu-

uſ, magno animárum lucro hoc in múnere verſátur. Attamen, regnuſ Chriſti adaugére deſiderans, contínuo flebat ingéntem multitudínem barbarórum, qui ignorántiæ ténebruſ immérſi dáemoni famulábántur. Qui quidem animárum zelus cum in dieſ inexſtinguíbili ardóre accreſceret, divíno númine per lácrimas et oratióneſ exploráto, facultátem a monáſterii præpóſito obtí-
nuit ad Germánicuſ oráſ proficiſcéndi.

R. Honéſtuſ fecit illum Dóminuſ, et cuſtodívit eum ab inimíciſ, et a ſeductóribuſ tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculuſ non derelíquit eum. **Et.**

Lectio v

Ex Anglia duóbuſ cum ſóciis navem ſolvens, Doreſtádium in Friſiæ óppiduſ venit. Cum au-

tem bellum gravissimum inter Frisonum regem Radbódum et Cárolum Martéllum exarsisset, sine fructu Evangélium prædicávit. Quaprópter in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus præficítur. Post elápsum biénnum, ex consénsu episcopi Vintoniénsis, munus abdicávit, et Romam profécus est, ut apostólica auctoritaté ad gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervénisset, a Gregório secúndo benígne excipitur, pro Winfrido Bonifátius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuringiæ Saxoníæque pópulis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus, Frisiæ rex ac infestíssimus christiáni nóminis hostis, occubuíset, Bonifátius ad Frisones redíit, ubi sancti Willibrórdi sócius per triénium tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut, destrúctis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo ecclésiæ excitarentur.

R. Desidérium animæ eius tribuísti ei, Dómine,

* Et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum. **V.** Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcedínis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. **Et.**

Lectio vi

A sancto Willibróordo ad episcopále munus expétitus, illud detrectávit, ut prómptius infidélium salutí instáret. In Germániam profécus, plura Hassórum millia a dáemonis superstitióne avocávit. A Gregório Pontífice Romam evocátus, post insignem fidei professionem episcopus consecrátur. Exínde ad Germános redux, Hássiam et Thuringiam ab idololatriæ reliquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifátius a Gregório tertio ad dignitatem archiepiscopálem evéhitur, et tertio Romam profécus a Summo Pontífice Sedis apostólicæ legátus constitúitur. Qua insignítus auctoritaté quátuor episcopátus instituit, et várias sínodos celebrávit, inter quas concílium Leptínense memorábile est, apud Bel-

gas in Cameracénsi dicecési celebrátum, quo quidem témpore ad fidem in Bélgio adaugendam egrégie cóntulit. A Zacharia Papa creatus Moguntínus archiepiscopus, ipso Pontífice iubénte, Pipinum in regem Francórum unxit. Post mortem sancti Willibrórdi Ultraiecténsis ecclésiám gubernándam suscepit, primo per Eóbanum, deínde per seípsum, dum ab ecclésiá Moguntína absolutus Ultraiecti resédit. Frisónibus ad idololatriam relápsis, Evangélium prædicáre rursus aggréditur, cumque officio pastoráli occuparétur, a bárbaris et impiis homínibus iuxta Bornam flúvium cum Eóbano coepiscopo multisque áliis cruénta cæde peréptus martýrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifátii Mogúntiam translátum, et, ut ipse vivens petierat, in Fuldénsi monastério, quod exstruxerat, recónditum fuit, ubi multis miraculis incláruit. Pius autem nonus Póntifex Máximus, eius Officium et Missam ad universam Ecclésiám exténdit.

R. Stola iucunditátis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput eius. **V.** Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. **Et.** Glória Patri. **Et.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Iesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedisset, accessérunt ad eum discipuli eius. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Episcopi

Liber 1 de Sermone Domini in monte, cap. 2

Beáti mundo corde; quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterioribus óculis quærunt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est: Et in simplicitate cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemadmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis: ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit

illud, quo vidéri potest. Beáti pacífici; quóniam ipsi filii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat; et ideo filii Dei pacífici, quóniam nihil in his resistit Deo, et útique filii similitúdinem patris habére debent.

R. Coróna áurea super caput eius, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. **V.** Quóniam pravenísti cum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite eius corónam de lápide pretiósio. **Expréssa.**

Lectio viii

Pacífici autem in semet-
ipsis sunt, qui omnes
ánimi sui motus componé-
ntes, et subiciéntes rati-
óni, id est menti et spi-
rítui, carnalésque concu-
piscéntias habéntes edó-
mitas, fiunt regnum Dei.
In quo ita sunt ordináta
ómnia, ut id, quod est in
hómine præcipuum et ex-
célens, hoc imperet, cé-
teris non reluctántibus,
quæ sunt nobis bestiisque
commúnia; atque idíp-
sum quod excéllit in hó-
mine, id est mens et rá-

tio, subiciátur potióri,
quod est ipsa véritas, uni-
génitus Fílius Dei. Neque
enim imperáre inferióri-
bus potest, nisi superióri
se ipse subiciat. Et hæc
est pax, quæ datur in ter-
ra homínibus bonæ vo-
luntátis; hæc vita con-
summáti perfectíque sa-
piéntis.

R. Hic est vere Martyr,
qui pro Christi nómine
sánguinem suum fudit; *
Qui minas iúdicum non
timuit, nec terrénæ dig-
nitátis glóriam quæsivit,
sed ad cælestia regna
pervénit. **V.** Iustum de-
dúxit Dóminus per vias
rectas, et osténdit illi reg-
num Dei. **Qui.** Glória Pa-
tri. **Qui.**

Lectio ix

De huiúsmodi regno pa-
catíssimo et ordina-
tissimo missus est foras
princeps huius sæculi, qui
pervérsis inordinatisque
dominátur. Hac pace in-
trínsecus constitúta at-
que firmáta, quascúmque
persecutiónes ille, qui fo-
ras missus est, forinsecus
concitáverit, auget gló-
riam, quæ secúndum De-
um est; non áliquid in illo
ædificio labefáctans, sed

deficiéntibus máchinis
suis innotescere fáciens,
quanta firmitas intus ex-
strúcta sit. Ideo séquitur:
Beáti, qui persecutióne
patiúntur propter iustí-
tiam; quóniam ipsórum
est regnum cælórum.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Iustus ut palma floré-
bit. **R.** Sicut cedrus Lí-
bani multiplicábitur.

Ad Bened. ant. Qui odit
* ánimam suam in hoc
mundo, in vitam ætér-
nam custódit eam.

Oratio

Deus, qui multitudínem
populórum, beáti Bo-
nifátii Mártiris tui atque
Pontíficis zelo, ad agni-
tióne tuí nóminis vocá-
re dignátus es: concéde
propítius; ut, cuius sol-
lémnia cólimus, étiam pa-
trocínia sentiámus. Per
Dóminum.

**Ad Horas minores antiphona
et psalmi de feria currenti.**

AD VESPERAS

V. Iustus, ut supra.

Ad Magnif. ant. Qui vult
veníre post me, * ábneget
semetípsum, et tollat cru-
cem suam, et sequátur me.
Completorium de dominica.

Die 4 iulii S. UDALRICI

Episcopi et Confessoris III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Udalricus, Alamánnus,
Hupáldi et Dietpír-
chæ filius, puer ad mona-
stérium sancti Galli mis-
sus, Deum ad sacerdotí-
um vocántem secúsus
est. Triginta tres annos
natus episcopus præfici-
tur ecclésiæ Augustánæ,
quam per decem lustra
forti manu infractóque
ánimo perturbatissimis
tempóribus rexit. Divína
mystéria summa devoti-
óne perégit, opus litúr-
gicum máxima sollemnitá-
te persólvit, multásque
celebrávit sýnodos. Zelo
domus Dei ardens ecclé-
siam cathedrám Augu-
stánam aliásque dirutas
eccléssias restítuit novás-
que exstrúxit et monasté-
ria omni fovit ópera. Vir
Dei pacíficus pacem inter
Ottónem regem et Liutól-
fum filium compósuit.
Contra Húngaros civitá-
tem Augustánam fórtiter
deféndens, illústris illius
victóriæ in campo Lycén-
si reportátæ partem præ-

cipiam habuit, cum patria salvans fidem. Die quarto mensis iulii anno nongentesimo septuagesimo tertio pie defunctum Ioannes decimus quintus primum canonico processu Sanctorum fastis adiunxit.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

V. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

Oratio

Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concede propitius; ut intercessione beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis, contra omnia adversa muniamur. **Per Dñm.**

AD VESPERAS

V. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amavit eum Dominus, * et ornavit eum: stolam glorie induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

Die 8 iulii
IN DEDICATIONE
ECCLESIE
CATHEDRALIS

I classis

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesie, præter lectiones II Nocturni, ut infra.

AD MATUTINUM

In II Nocturno

Lectio iv

Ludovico secundo, qui dicitur Germanicus, regnante Alfridus, Hildeshemiensis ecclesie antistes quartus, templum in prædio suo, Astnide nomine, suis sumptibus erectum in honorem sanctæ et individue Trinitatis consecravit sanctæque semper Virgini Mariæ et sanctis martyribus Cosmæ et Damiano dicavit. Qua cum ecclesia Alfridus, ex Saxoniæ præclarissima gente ortus, sanctimoniâlium, qui canonicæ sæculares nuncupantur, congregatiõnem ad nobilium Saxonum filias educandas et, si forte, sustentandas destinatam coniunxit. Collegium quoque duodecim canonicorum, inter quos quattuor presbyterorum, instituit, qui cultu divino

exercendo sacramentisque administrandis sororum in monasterio canonice viventium animabus curarent simulque fidei ac moribus christianis fovendis in rusticis vicinis operam darent. Supradictæ ecclesie monasterique instrumentum dedicationis episcopus Hildeshemiensis anno dominicæ incarnationis octingentesimo septuagesimo in nationali synodo Coloniæ Agrippinæ Williberto archiepiscopo præsidente atque Moguntino ac Treverensi metropolitâ aliisque episcopis adstantibus habita die festo sanctorum Cosmæ et Damiani promulgatum a synodalibus fecit corroborari.

R. Orantibus in loco isto, * Dimitte peccata populi tui, Deus, et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da gloriam in loco isto. **V.** Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Ioseph, qui sedes super Cherubim. **Dimitte.**

Lectio v

Hoc ædificium, quod Alfridum episcopum die festo sancti Kiliâni, id

est die octavo mensis iulii, consecrasset ex antiquis temporibus traditur et in quo fundatoris corpus defuncti sepultum est, medio sæculo decimo immâni incendio totum fere est delatum. Deinde abbatissæ Essendiensæ ex gente regia Saxonia oriundæ, quarum nomina sunt Mathildis et Theophanu, novam Deo domum ampliorem pulchriorisque extruxerunt atque splendidissimis operibus arte factis ornaverunt, quæ nunc etiam, in ecclesie thesauro asservata, contemplantium oculos delictant. Novi huius templi, in quo Henricus Germanorum rex tertius Romanorum imperator secundus, vir sincera profundaque pietate præstantissimus, oravit et sacrificio eucharistico interfuit, navis longa ac chorus ad orientem vergens iterum igne combusta exeunte sæculo tertio decimo et quarto decimo ineunte novo stylo restituta sunt. Abbatia imperiali Essendiensi anno millesimo octingentesimo tertio secularizatione quæ dicitur magna

sublátá eiúsque finibus Borussórum regno adiúntis ecclésia canonisárurum parochiá ad sanctum Ioánnem Baptistam est addicta.

R. O quam metuéndus est locus iste: * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. **V.** Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. **Vere.**

Lectio vi

Anno millésimo nongentésimo quadragésimo tertio, mense mártio, hæc ecclésia, quæ vulgo «Münsterkirche» vocátur, exitiósio bello magna ex parte diruta, sed novíssimis diébus summa indústria refécta ad maiórem honórem est eleváta. Pii duodécimi enim Summi Pontíficis bulla apostólica die tertio et vicésimo mensis februárii anno Dómini millésimo nongentésimo quinquagésimo séptimo dáta nova diocésis Essendiénsis cóndita est atque caléndis ianuáriis subsequéntis anni primus episcopus Essendiénsis in hac æde inthronisátus est magno cum fidélium

gáudio. Qua sollempnitáte, præfáta vetus ac venerábilis ecclésia facta est cathedrále templum. Ex quo tamquam e fonte salubérrimo flante Dei númine gratiárum cælestium divítiæ in diocésis Essendiénsis cleri populíque ánimas iúgiter effundántur.

R. Mane surgens Iacob erigébat lápidem in titulum, fundens óleum desuper, votum vovit Dómino: * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. **V.** Cumque evigiláset Iacob de somno, ait. **Vere.** Glória Patri. **Vere.**

Die 23 iulii
S. LIBORII
Episcopi et Conf.
III classis
AD MATUTINUM
Lectio iii

Libórius honéstis paréntibus in Gállia natus et póstea adúltus ac clero adscriptus propter morum integritátem atque humanárum divinarúmque litterárum sciéntiam et magnam suam sapiéntiam Cenomanénsis ecclésiæ antistes quartus uná-

nimi civitátis consénsu eléctus dicitur fuisse. Quadraginta autem novem annis in episcopátu sanctíssime transáctis eum obdormisse in Dómino décimo caléndas augústas tradunt, sæculo quarto exeúnte. Cuius sacrum corpus in ecclésia Apostolorum Petri et Pauli sepúltum atque multis deinde miráculis corúscans, debelláta a Cárolo Magno Saxónia, Badurádus, secúndus Paderbornæ episcopus, ut pópulum adhuc in fide rudem a paganórum erroribus per novum patrónum et intercessórem revocáret, ab Aldrico, Cenomanénsi antístite, impetrávit ac summa celebritáte suscepit, anno salutís octingentésimo trigésimo sexto. Memória Sancti Libórii, patróni principális Paderbornénsis ecclésiæ, a fidélibus quoque Essendiénsibus pia et grata veneratióne prótinus cólitur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Ecclésiám tuam in confessiône sancti nóminis tui solidásti: præsta, quæsumus; ut, quæ sancti Libórii, Confessoris tui atque Pontíficis, ánnua récolit sollémnia, eius apud te suffrágiis ab omni mereátur adversitáte liberári. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Apollinaris Ep. et Mart.:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

V. Iustus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicábitur.

Oratio

Deus, fidélium remunerátor animárum, qui hunc diem beáti Apollináris Sacerdotis tui mártýrio consecrásti: tríbue nobis, quæsumus, fámulis tuis; ut, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus eius indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

AD VESPERAS

V. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. Amavit eum Dominus * et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

Oratio

Omnipotens sempiternus Deus, qui Ecclesiam tuam in confessione sancti nominis tui solidasti: presta, quaesumus; ut, quæ sancti Liborii, Confessoris tui atque Pontificis, annua recolat sollemnia, eius apud te suffragiis ab omni mereatur adversitate liberari. Per Dominum.

Die 13 septembris
S. MATERNI

Episcopi et Conf.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Primus, cuius nomen novimus, Coloniensis sedis episcopus fuit sanctus Maternus, qui Constantini Magni temporibus hanc ecclesiam rexit. Quanta eius fuerit auctoritas et sanctæ conversa-

tionis fama, ex eo apparet, quod funesto Donatistiarum schismate in Africa exorto, anno trecentesimo decimo tertio Romam vocatus est, ut cum Reticio, episcopo Augustodunensi, et Marino, episcopo Arelatensi, Summo Pontifici Miltiadi in sedando assisteret schismate.

Post hanc, quæ prima in Lateranensi Romani Pontificis domo habita est, synodum, cum altera eadem de causa Arelate sequenti anno convocata esset, huic quoque sanctus Maternus cum Agritio, episcopo Treverensi, interfuit. Eundem hunc præsulem ecclesia Treverensis in serie episcoporum tertium, inter sanctum Valerium videlicet et Agritium, Tungrensis vero primum enumerat. Indefessus ille verbi Dei præco post vitam sancte peractam obdormivit in Domino et apud Treveros sepultus est in memoria prope basilicam sancti Eucharii. Clerus quoque populisque Essendienses hodie una cum ecclesia Coloniensi diem sancti Materni festum celebrant.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

V. Iustum, ut supra 10*.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, dicit Dominus.

Oratio

Deus, qui diversarum nationum populis præclaros veræ fidei constituisti doctores: presta, quaesumus; ut omnes, qui ad beati Materni Confessoris tui atque Pontificis festa conveniunt, presentis prosperitatem vitæ et futuram æternæ beatitudinis gloriam consequantur. Per Dominum.

AD VESPERAS

V. Iustum, ut supra 10*.

Ad Magnif. ant. Amavit eum Dominus, * et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

Die 17 septembris
S. HILDEGARDIS

Virginis

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Hildegardis, nobili ex genere de Bermersheim orta, octennis sub

regimine beatae Iuttæ in montem Sancti Disibodi secessit. Monasticam vitam professa et divino velata Sponso, Iuttam defunctam, licet renitens, magistra secuta est. Cum vero claustrum exiguum virgines illuc festinantes vix caperet, montem sancti Ruperti prope Binguam novo ibi extructo monasterio, Spiritu Sancto urgente, adiit. Quadraginta fere tres annos nata igneo lumine, miro intellegentia Sacrarumque Scripturarum expositionis dono, prophetia munere aliisque charismatibus ornata, ea quæ viderit et audierit ut scriberet divinitus monita est. Cui muneri magno cum tremore incumbens paterna Eugénii tertii auctoritate confirmata, libros caelesti sapientia plenos confecit eximios. Cuius fama exinde longe lateque diffusa, Pontifices Romani, episcopi non pauci, ipse Imperator Fridericus primus, reges, principes, viri sanctissimi et eruditissimi illius consilium exquirebant eiusque precibus se suaque commendabant. Illa au-

tem córdium secréta perspiciens, ómnium desidériis cónsulens et salúti, néminem nisi consolátum, illuminátum, ad melióra excitátum a se dimittébat, infirmos quoque grátia nacta curatiónum sanábat. Divíno dénique impúlsa Spíritu et apostólico zelo ásttuans longa atque permolestá itínera non pauca suscipiébat. Vias Dómini intrépide annúntians héréficos mira auctoritáte et grátia confutábat. Tot laboribus et ærúmnis tandem exústa, anno Dómini millésimo centésimo septuagésimo nono migrávit ad patrem lúminum, anno ætátis suæ octogésimo secúndo.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. O digníssima Christi sponsa! * quam lux prophetiæ illustrávit, zelus apostólicus inflammávit, láurea virginum coronávit, divíni amoris incéndium consummávit.

Oratio

Deus, qui beátam Hildegardem Virginem tuam donis cælestibus decorásti: tribue, quæsumus; ut, eius vestigiis et documentis insistentés, a præsentis sæculi caligine ad lucem tuam delectabilem transire mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui.

V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Francisci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concede propítius; ut eius méritis et præcibus crucem iúgiter ferámus, et dignos fructus pæniténtiæ faciámus: Qui vivis et regnas.

AD VESPERAS

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus

Salve, nostra tu glória, Exémplar es quæ Virginum!

Audi benigna súplices tibi canéntes cánticum.

O Virgo, quæ mirábilis vixísti amoris víctima, et nunc beátis fúlgidis cæli recépta sédibus.

Vitæ per æquor túrbidum tuos cliéntes dirige, nobisque amícum cómpara, cui te revínxit grátia.

Sicut dolos intérrita vicísti, et artes hóstium, et robur in discrimine sumens, nitébas púlchrior:

Sic bella nos quot íngruent, te favénte, fúndere, virtútis almæ ac sémitam vultu seréno cúrrere.

Alat repóstam méntibus fidem supérna caritas; mores adórnet áureos intemeráta cástitas.

Summo Parénti ac Fílio tibíque, Sancte Spíritus, sit laus, potéstas, glória per sempitérna sæcula.

Amen.

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Súbveni nobis, * Hildegárdis virgo sanctíssima, ætérni regis sponsa, in cuius aula splendescis sicut stella fulgéntíssima.

Die 27 septembris

SS. COSMÆ
ET DAMIANI

Martyrum

Patronorum principalium
Civitatis Essendiensis

I classis

(in Civitate Essendiensi)

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter ea quæ hic habentur propria.

In diœcesi III classis: Omnia ut in Breviario.

AD MATUTINUM

In I Nocturno lectiones Fratres: Debitóres, de Communi.

In II Nocturno

Lectio iv

Cosmas et Damiánus, fratres Arabes, in Ægéa urbe nati, nóbiles

médici, imperatóribus Diocletiano et Maximiano, non magis medicinæ sciéntia quam Christi virtúte, morbis étiam insanabilibus medebántur. Quorum religiónem cum Lysias præfectus cognovisset, addúci eos ad se iubet, ac de vivendi insti- túto et de fidei profes- sióné interrogátos, cum se et Christiános esse, et christiánam fidem esse ad salútem necessariam, lí- bere prædicarent, deos venerári imperat; et, si id recusent, minátur cruciá- tus et necem acerbíssi- mam.

R. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis válidis: * Terra apparuit árida, et in Mari Rubro via sine impedi- ménto. **V.** Quóniam percússit petram, et fluxé- runt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

Verum ut se frustra hæc illis propónere intél- legit: Colligáte, inquit, manus et pedes istórum, eosque exquisitis tor- quète suppliciis. Quibus

iussa exsequéntibus, ni- hilóminus Cosmas et Da- miánus in senténtia persi- stébant. Quare, ut erant vincti, in profúndum mare proiciúntur. Unde cum salvi ac solúti essent egressi, mágicis ártibus præfectus factum assig- nans, in cárcerem tradit, ac postriðie edúctos in ardéntem rogam ínici iu- bet; ubi, cum ab ipsis flamma refúgeret, várie et crudéliter tortos se- cúri pércuti vóluit. Itaque in Iesu Christi confes- sióné martýrii palmam acceperunt.

R. Vérbera carníficum non timuérunť Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut herédes fierent in domo Dómini. **V.** Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia. Ut.

Sermo sancti Augustini
Episcopi

Sermo 47 de Sanctis

Lectio vi

Quotiescúmque, fratres caríssimi, sanctórum Mátyrum sollémnia cele- brámus, ita, ipsis interce- déntibus, exspectémus a Dómino cónsequi tempo- rália beneficia, ut ipsos

Oratio

Mátyres imitádo accí- pere mereámur æténa. Ab ipsis enim sanctórum Mátyrum in veritáte fe- stivitátum gáudia cele- brántur, qui ipsórum Má- tyrum exémpla sequún- tur. Sollemnitates enim Mátyrum exhortatiónes sunt martyriórum, ut imi- tári non pigeat, quod ce- lebráre deléctat.

R. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holo- cáusti hóstiam accépit il- los; et in témpore erit res- pectus illórum: * Quón- iam donum et pax est eléctis Dei. **V.** Qui con- fidunt in illum, intélle- gent veritátem: et fidéles in dilectiône acquiescent illi. Quóniam. Glória Pa- tri. Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Descéndens, de Communi plurimorum Martyrum 2 loco. **R.** VIII Hæc est vera.

AD LAUDES

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes nu- meráti sunt: nolíte timé- re: multis passéribus melióres estis vos.

Præsta, quæsumus, om- nípotens Deus: ut, qui sanctórum Mátyrum tuó- rum Cosmæ et Damiáni natalicia cólimus, a cunc- tis malis imminéntibus, eórum intercessiόνibus, liberémur. Per Dóminum.

Ad Horas minores antiphonæ de Laudibus, psalmi de do- minica, ad Primam tamen ut in festis.

AD VESPERAS

V. Exsultábunt, ut supra. **Ad Magnif. ant.** Gaudent in cælis * ánima Sanctórum, qui Christi vestí- gia sunt secúti; et, quia pro eius amóre sángu- nem suum fuderunt, ideo cum Christo exsultant sine fine.

Completorium de dominica.

Die 11 octobris
BEATÆ MARIÆ VIRG.
BONI CONSILII
MATRIS

vulgo

DOMINÆ NOSTRÆ
AURÆ

Patronæ principalis Diœcesis
I classis

Omnia de Communi festo- rum beatæ Mariæ Virginis, præter ea quæ hic habentur propria.

AD I VESPERAS

Ant. 1 Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.

2 Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.

3 Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

4 Benedicta es tu, Virgo Maria, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.

5 Nomen tuum ita magnificavit Dominus, ut non recedat laus tua de ore hominum.

Capitulum Eccli. 24, 14

Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

Hymnus

O Dei Sapientia, attingens cuncta fortiter, humani lapsus crimina levasti, Rex, suaviter.

Replens matrem dulcedinis dono, dum alvo clauditur,

fit prudens in consiliis, aurea stella oritur.

O Advocata, nuptias defende et familias. Procura donum gratiæ Essendiensi Ecclesiæ.

Iesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine, cum Patre et almo Spiritu in sempiterna sæcula.

Amen.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata. **R.** Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnif. ant. Sancta Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flébiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant tuum iuvamen, quicumque tuum bonum implorant consilium.

Oratio

Deus, qui Genetricem dilecti Filii tui, matrem nobis dedisti, eiusque auream effigiem clarificare dignatus es: concede, quæsumus; ut eiusdem monitis iugiter inherentes, secundum cor tuum vivere valeamus. Per eundem Dominum.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Sancta Maria, Dei Genetrix Virgo, * Intercede pro nobis.

Hymnus

Regina cæli fulgida, Deique mater providi,

Virgoque prudentissima, nos te rogantes adiuva.

Tu docta Christi gratia Sanctique luce Spiritus, confisa Patris nuntio, mandata magna perficis.

Nostræ salutis consulens, præcepta Christi nos iubens audire cordis auribus fidemque factis exsequi.

Pro filiis labentibus divum precata Filium, fac, obsecramur optimis verbis et exemplis simul.

Iesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine, cum Patre et almo Spiritu,

in sempiterna sæcula.

Amen.

In II Nocturno**Lectio iv**

Beatissima Virgo Maria ex tempore fundationis, id est ex sæculo nono, abbatiae ecclesiæque collegiatae Assindensis tunc vocatae patrona fuit.

Cuius patronatus testimonium pretiosissimum usque adhuc imago est, quæ dicitur Domina Aurea, statua scilicet Virginis matris sedentis cum infante divino ex ligno ficta et laminis aureis induta. Hæc imago, quam Mathildim abbatissam, Ottónis Magni neptim, sæculo decimo exeunte fieri iussisse dicitur, medio ævo et temporibus recentioribus usque ad sublationem abbatiae Essendiensis a populo fideli maxima veneratione est affecta.

R. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cyprissus in monte Sion: quasi myrrha electa, *

V. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio v

Quæ imago nostris diebus fidelium oculis et cordibus iterum propius est admota. Per litteras apostolicas die octavo mensis iulii anni millésimi nongentésimi quin-quagésimi noni datas Ioannes Papa vigésimus tertius Beatam Mariam Virginem nomine boni

consilii Matris et Dóminæ Nostræ Aureæ totius Essendiensis diocesis nóviter erectæ præcipuam apud Deum Patrónam constituit et declarávit. Die autem festo Maternitatis Beátæ Mariæ Virginitis eíusdem anni, fidéli pópulo ex omnibus diocesis regiónibus congregáto, Dóminæ Aureæ státua in sollémni pompa ex thesauro in ecclésiám cathedrám transláta est, ubi episcopus in huius imáginis conspéctu clerum populúmque diocesis suæ almæ Dei Matri commendávit.

R. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formósa tamquam Ierúsalem? * Vidérunt eam filia Sion, et beátam dixerunt, et reginæ laudavérunt eam. **V.** Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Sermo
sancti Ioánnis
Chrysóstomi
Apud Metaphrasten

Lectio vi

Dei Filius non dívitem aut locuplétem áliquam féminam sibi ma-

trem elégit, sed beátam Virginem illam, cuius ánima virtútibus ornáta erat. Cum enim beáta María supra omnem humánam natúram castitátem serváret, proptérea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc igitur sanctíssimam Virginem et Dei Matrem accurréntes, eius patrocínii utilitátem assequámur. Itaque, quæcúmque estis vírgines, ad Matrem Dómini confúgite; illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam et incorruptibilem possessionem, patrocínio suo, vobis conservábit.

R. Ornátam monilibus filiam Ierúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam filia Sion, beatíssimam prædicavérunt dicéntes: * Unguéntum efúsus nomen tuum. **V.** Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circumdata varietáte. **Et.** Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii
secúndum Ioánnem

Lectio vii Cap. 2, 1-11

In illo témpore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galiléæ, et erat Mater Iesu

ibi. Vocátus est autem et Iesus, et discípuli eius ad nuptias. Et reliqua.

Homília
sancti Albértil Magni
episcopi

Super Ioan. cap. 2

Et erat mater Iesu ibi. Vocátæ sunt honestæ matrónæ, ut in eárum aspéctu et doctrína sponsæ ad vitæ honestátem vel vitam honestátis informaréntur; omnis autem honestátis spéculum fuit mater Christi. Vocátus autem est et Iesus. Venit autem Iesus ut nuptiárum approbátor et sanctificátor. Et deficienti vino. Ad lítteram patet hic contrahéntium paupértas, qui in terra ubertátis vini témpore suæ iucunditátis vinum sufficiénter habére non póterant, et máxime témpore illo, quo nuper ante vinum vindemiátum fúerat et apud multos, máxime abundábat, hoc est in ianuário. Et ex hoc accipitur, quáliter Christus pauper congregatiónem páuperum amábat, quorum festis interésse non dedignátus fuit (II Cor. 8:) Scitis grátiam Dómini Iesu Christi, quia propter

nos egénus factus est, cum esset dives, ut nos illius inópia dívites essemus. (Iac. 2:) Deus elégit páuperes, dívites autem in fide et heredes regni, quod repromisit diligéntibus se.

R. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol iustitiæ, Christus Deus noster. **V.** Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercède pro devóto femíneo sexu: sentiant omnes tuum iuvámen, quicúmque celebrant tuam sanctam festivitátem. **Quia.**

Lectio viii

Dicit mater Iesu ad eum. Ecce miraculi faciéndi a matre misericórdiæ interpellátio. Dicit mater, quæ carne mater erat et afféctu matris filiis futúris ecclésiæ compatiebátur. (III Reg. 2:) Pete a me, mater; neque enim fas est me quicquam negáre tibi. Iesu: salvátoris, qui ex omni salvat afflictiónem. (Eccli. 35:) Speciósá Dei miserericórdia in témpore tribulatiónis quasi nubes plúviæ in témpore siccitátis.

Scivit enim tempus observare mater sapientiae, quia tunc tempore iucunditatis et plus dolabant de defectu et plus tribulabantur de verecundia paupertatis, cum non subesset facultas, unde vinum emeretur. Et ideo dicit: Vinum non habent. Nec dicit: Da eis vinum, ut reverentiam servet filio, et in liberalitate filii et misericordia spem ponens, tantum defectum proponit.

R. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen eius. **V.** Et misericordia eius a progenie in progenie timéntibus eum. **Quia.** Glória Patri. **Quia.**

Lectio ix

Dixit mater eius ministris. Ecce instructio ministrorum. Scivit enim filium suum tantae misericordiae, quod compateretur verecundiae sponsorum; et instruit ad obediéntiam secundum nomen suum, quia María illuminatrix interpretatur, et ideo illuminat eos de faciéndis. Quodcúmque

dixerit vobis, fácite: generaliter obediendo. **Psalmus:** Obcedite voci eius, qui posuit animam meam ad vitam et non dedit commoveri pedes meos. Dictum enim eius in potestate est. **Psalmus:** Audient verba mea, quoniam potuerunt. Et iterum: Dabit voci suae vocem virtutis. **Te Deum.**

AD LAUDES

et per Horas

Ant. 1 Candor est lucis aeternae, et speculum sine macula.

Psalmi de dominica.

2 Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.

3 Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

4 Benedicta es tu, Virgo María, a Domino Deo excelso pra omnibus mulieribus super terram.

5 Nomen tuum ita magnificavit Dominus, ut non recedat laus tua de ore hominum.

Capit. Eccli. 24, 14

Ab initio et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non

désinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

Hymnus

Ogloriosa virginum, sublimis inter sidera, qui te creavit, parvulum lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit,

tu reddis almo germine: intrent ut astra flébiles, caeli recludis cárdines.

Tu Regis alti iánua et aula lucis fúlgida: vitam datam per Virginem, gentes redemptae, pláudite.

Iesu, tibi sit glória, qui natus es de Virgine, cum Patre, et almo Spiritu,

in sempiterna saecula.

Amen.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad Bened. Ant. Docenos, * Dómina nostra aurea, post te currémus ob consilia bona salutis.

Oratio

Deus, qui Genetricem dilecti Filii tui, matrem nobis dedisti, eius-

que auream effigiem clarificare dignatus es: concede, quæsumus; ut eiusdem monitis iugiter inhaerentes, secundum cor tuum vivere valeamus. Per eundem Dóminum.

Ad Horas minores antiphona de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis, et in ea V. Qui natus es de María Virgine.

AD TERTIAM

Capit. Ab initio, ut supra ad Laudes 20*.

R. br. Spécie tua * Et pulchritudine tua. Spécie. **V.** Inténde, prospere procede, et regna. **Et.** Glória Patri. **Spécie.**

V. Adiuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio eius, non commovebitur.

AD SEXTAM

Capit. Eccli. 24, 15-16

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Ierusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

R. br. Adiuvabit eam *
Deus vultu suo. **Adiuvabit.**
V. Deus in medio
eius, non commovebitur.
Deus vultu suo. **Gloria**
Patri. **Adiuvabit.**

V. Elégit eam Deus, et
praelégit eam. **R.** In ta-
bernáculo suo habitare
facit eam.

Oratio

Deus, qui Genetricem
dilécti Filii tui, ma-
trem nobis dedisti, eíus-
que áuream effigiem
clarificáre dignátus es:
concede, quæsumus; ut
eíusdem mónitis iúgiter
inhæréntes, secúndum cor
tuum vívere valeámus.
Per eúndem Dóminum
nostrum.

AD NONAM

Ant. Nomen tuum ita
magnificávit Dóminus, ut
non recédât laus tua de
ore hóminum.

Capit. Eccli. 24, 19-20

In platéis sicut cinnamó-
mum et bálsamum aro-
matízans odórem dedi:
quasi myrrha elécta dedi
suavitátem odóris.

R. br. Elégit eam Deus, *
Et praelégit eam. **Elégit.**
V. In tabernáculo suo ha-

bitare facit eam. **Et. Gló-
ria Patri. Elégit.**

V. Diffusa est grátia in
lábiis tuis. **R.** Propterea
benedíxit te Deus in ætér-
num.

AD II VESPERAS

Antiphonæ de Laudibus 20*.

Capit. Eccli. 24, 14

Ab initio, et ante sæcu-
la creáta sum, et us-
que ad futúrum sæculum
non désinam, et in habi-
tatióne sancta coram ipso
ministrávi.

Hymnus

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
atque semper Virgo,
felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
funda nos in pace,
mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
profer lumen cæcis,
mala nostra pelle,
bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
sumat per te preces,
qui pro nobis natus,
tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
inter omnes mítis,
nos culpis solútos
mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
iter para tutum,
ut vidéntes Iesum,
semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
tribus honor unus.

Amen.

V. Dignáre me laudáre
te, Virgo sacráta. **R.** Da
mihi virtútem contra ho-
stes tuos.

Ad Magnif. ant. Interce-
dente Matre, iussit Iesus
impléri hýdrias aqua,
quæ in vinum conversa
est, allelúia.

Completorium de dominica.

Die 12 octobris
MATERNITATIS
B. MARLÆ VIRGINIS

II classis

Omnia ut in Breviario die 11.

Die 22 octobris
SS. EWALDORUM
Martyrum

III classis

AD MATUTINUM

Lectio III

(Ex Historia ecclesiastica S.
Bedæ Venerabilis V. 10)

Duo quidam presbýteri
de natióne Anglórum
venérunt ad provinciam

antiquórum Sáxonum, si
forte áliquos ibidem præ-
dicándo Christo acqui-
rere possent. Erant au-
tem unius ambo sicut
devotiónis, sic étiam vo-
cábuli. Nam utérque
eórum appellabátur He-
wáldus sive Ewáldus; ea
tamen distinctiône, ut
pro diversa capillórum
spécie unus Niger, alter
Albus Ewáldus dicerétur.
Qui veniéntes in provin-
ciam intravérunt hospí-
tium cuiúsdam villici, qui
eos suscepit et áliquot
diébus secum retinuit.
Sed cum cognovissent
eos bárbari, quod essent
altérius religiónis, rapué-
runt eos súbito et intere-
mérunt: Album quidem
Hewáldum velóci occi-
sióne gládi, Nigéllum au-
tem longo suppliciórum
cruciátu et horrénda
membrórum ómnium dis-
cerptiône: quos interém-
ptos in Rheno proiecerunt.
Passi sunt autem præ-
fáti sacerdótes et fámuli
Christi quinto nonárum
octóbrum die. Invénta
póstea eórum córpora
iuxta honórem martýri-
bus condígnum recóndita
sunt; dénique gloriosís-
simus dux Francórum

Pippinus ubi hæc cômperit, misit et adducta ad se eorum cõrpora cõndidit cum multa glõria in ecclësia Coloniæ civitatís iuxta Rhenum.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

V. Exsultabunt Sancti in glõria. **R.** Lætábuntur in cubilibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capilli capitis * omnes numerati sunt: nolite timere: multis passéribus meliõres estis vos.

Oratio

Sanctorum Mátyrum tuorum Ewaldorum nos, Dõmine, foveat pretiosa conféssio: et pia iúgiter intercéssio tueatur. Per Dõminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD VESPERAS

V. Exsultabunt Sancti in glõria. **R.** Lætábuntur in cubilibus suis.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secúti: et quia pro eius amore sánguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsultant sine fine.

Die 7 novembris
S. ENGELBERTI
Episcopi et Mátyris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Engelbértus, patre Engelbérto Mõntium et Altenæ cõmite, matre Margaríta Gélriæ cõmitis et Seinárdæ Brabantiae filia, natus, ab ineunte ætate prudens et amabilis, liberalis et húmilis fuit. Episcopátu Monasteriensi, ad quem annos habens octódecim eléctus fuerat, a se recusato anno millésimo ducentésimo sexto, ætatis vero trigésimo, sedem archiepiscopalem Coloniensem ascendit. Diocesis statum decessorum nóxiis dirutum summa cum sollertia restauravit atque ad religionem valde devastatam reficiendam Dominicános, Franciscános, Carmelítas Colóniam venientes benigne suscepit et contra malevolorum obtreccatiõnes valenter defendit. Functiõnes pontificáles cum magna adstantium ædificatiõne obibat ac tenerrima pie-

tate fovit beatissimam Virginem, cuius sacra loca peregrinando visitare et in cuius honorem singulis fériis quartis ieiunare consuivit. Caritate autem vere paterna omnes prosecutus, in summis etiam negotiorum curis, pauperibus, oppressis aliisque miseris ad ferendam opem omni hora paratus fuit. A Friderico secundo imperatore Henrici filii eiusdem tutor et impérii cis Alpes constitutus administrator, pacem terris impérii conciliavit, afflictorum tutelam suscepit, violentorum hominum audaciam fregit. Libertatem ecclesiasticam, contra advocatos potissimum, ingenti animo tutatus est; sicque viam sibi stravit ad martyrium. Fridericum enim de Isenburg, ad Ruram cõmitem, patruelis sui filium, qui sub advocati nomine cenobium Essendiense vexabat eiusque bona rapiabat, Honorii tertii Romani pontificis et Friderici secundi imperatoris iussu serio vituperavit. Sed disceptationibus de pace Sosatii triduo frustra factis archiepiscopus in insidiis inter loca Givelberch et Swelme positus a Friderico eiusque satellitibus atrocissime trucidatus est; atque adeo pro libertatis ecclësiae defensione gloriosus martyr occubuit, sub crepusculum vespertinum, séptimo idus novembris, anno Dõmini millésimo ducentésimo vigésimo quinto. Martyrem suum Deus multis post mortem miraculis illustravit.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

V. Iustus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Bened. ant. Qui odit * animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Oratio

Deus, pro cuius Ecclësia gloriosus Pontifex Engelbértus gládiis impiorum occubuit: præsta, quæsumus; ut omnes, qui eius implorant auxilium, petitiõnis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dõminum nostrum.

AD VESPERAS

V. Iustus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnif. ant. Qui vult venire post me, * abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Oratio

Deus, pro cuius Ecclesia gloriosus Pontifex Engelbertus gladiis impiorum occubuit: praesta, quaesumus; ut omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis suae salutarem consequantur effectum. Per Dominum.

Die 13 novembris

In Ecclesiis consecratis Dicesis, excepta Cathedrali

IN DEDICATIONE PROPRIÆ ECCLESIAE

I classis

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiae.

Die 2 decembris

S. PETRI CHRYSOLOGII

Ep., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

Lectio iii

Petrus, qui ob auream eius eloquentiam Chrysologus cognomen

ademptus est, Foro Cornélii in Æmilia honestis parentibus natus, a prima aetate animum ad religionem adiciens. Cornélius Romano, tunc eiusdem urbis Corneliensis episcopo, operam dedit; a quo diaconus merito creatus est. A sancto Xysto Papa tertio archiepiscopus Ravennae, licet invitus, renuntiatus, a Ravennatibus maxima cum reverentia susceptus est. In pastoralis munere eximius, ludos ab hominibus personatis fieri solitos ut cohiberet contione, illud praeclare dixit: Qui iocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Vitae suae finem divinitus prænoscens, in patriam se contulit; et sancti Cassiani templum ingressus, pretiosa dona cum obtulisset, Deum eundemque patronum humiliter rogavit, ut benigne animam eius exciperent. Migravit ex hac vita quarto nonas decembris, decimo octavo episcopatus anno. Eius sacrum corpus prope corpus sancti Cassiani honorifice conditum est. **Te** Deum laudamus.

AD LAUDES

V. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutum, dicit Dominus.

Oratio

Deus, qui beatum Petrum Chrysologum Doctorem egregium, divinitus prae monstratum, ad regendam et instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti: praesta, quaesumus; ut, quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Dominum nostrum.

Et fit commemoratio S. Bibianae Virg. et Mart.:

Ant. Simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas: inventa una pre-

tiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Oratio

Deus, omnium largitor bonorum, qui in famula tua Bibiana cum virginitatis flore martyrii palmam coniunxisti: mentes nostras, eius intercessione, tibi caritate coniunge; ut, amotis periculis, praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum.

AD VESPERAS

V. Iustum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnif. ant. O Doctor optime, * Ecclesiae sanctae lumen, beate Petre Chrysologe, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

CALENDARIUM

IUNIUS

5 S. Bonifatii Ep. et Mart. II cl. 1*

IULIUS

4 S. Udalrici Ep. et Conf. III cl. 5*
8 Dedicatio Ecclesiae Cathedralis I cl. 6*
23 S. Liborii Ep. et Conf. III cl. 8*
com. S. Apollinaris Ep. et Mart.

AUGUST

17 S. Alfredi Ep. et Conf. II cl. hinten

SEPTEMBER

13 S. Materni Ep. et Conf. III cl. 10*
17 S. Hildegardis Virg. III cl. 11*
com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.
27 In Civitate Essendiensi:
Ss. Cosmæ et Damiani Martyrum, Patronorum princi-
palium Civitatis I cl. 13*

OCTOBER

11 Beatæ Mariæ Virginis, Boni Consilii Matris, vulgo
Dominæ Nostræ Aureæ, Patronæ principalis
diocesis I cl. 15*
12 Maternitatis B. M. V. II cl. 23*
22 Ss. Ewaldorum Martyrum III cl. 23*

NOVEMBER

7 S. Engelberti Ep. et Mart. III cl. 24*
13 In Ecclesiis consecratis Diocesis excepta Cathedrali:
Dedicatio propriæ Ecclesiae I cl. 26*

DECEMBER

2 S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct.
com. S. Bibianæ Virg. et Mart. III cl. 26*

Die 17 augusti

S. ALFREDI EP. et CONF.

II classis

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, praeter ea quae hic habentur propria.

episcopi Hildesiensis, et Sergii Papae secundi labores, anno octingentesimo quinquagesimo primo Hildesiensium antistes consecratus est. Interfuit synodis Moguntinae et Coloniensi, et in Conventu apud Meerssen, ob divisionem regni Carolingici convocato, magni habitus est.

AD MATUTINUM

In II Nocturno

Lectio IV

Alfredus, filius parentum nomine Ovo et Rikheit, praenobili Saxonum prosapia, sancto Monasteriensi Episcopo Ludgero et duci Saxonum celeberrimo Widukind propinqua, circa annum octingentesimum natus est. In scholis monasteriorum, ut fertur, Fuldae, Centulae et Sancti Quintini educatus, anno octingentesimo undetrigesimo scholam Corveiensis dirigendam suscepit. Tandem post indefessos in servitio Ebbonis,

R. Inveni David servum meum...

Lectio V

Regino, abbas Prumiensis Alfredum vocat „prudentissimum virum, tanta ingenii arte, tantaque constantia“, et Hincmarus, Remensium metropolita, eum scribit „naturalis prudentiae, suatim me paratior in sermone“ fuisse. Regi Ludo-

vico Germanico amicitia coniunctus erat. Temporibus difficillimis Ecclesiae et regni prudenti consilio principes et antistites adiuvit. Ad cultum divinum promovendum et ecclesiasticam disciplinam augendam ecclesiam cathedrali Hildesiensem necnon collegiatis apud Gandersheim et Lamspringe fundavit.

R. Posui adiutorium...

Lectio VI

Anno octingentesimo quinquagesimo secundo Alfredus in suo „praediolo quod Astniede vocatur ex his quae Deo donante“ possidebat, ecclesiam in honorem Sanctissimae Trinitatis, beatae Mariae Virginis et sanctorum Martyrum Cosmae et Damiani fundavit una cum Collegio Sanctimonialium. Ita non tantum centrum vitae ecclesiasticae et propagandae fidei

constituit, sed et educationi filiarum nobilium Saxonum providit. Per mille annos Abbatissa Essendiensis inter Germaniae principes numerata est. Collegium virginum Dei gloriae sollemni cultu liturgico provehenda se dedit, praesertim tempore imperatorum qui Saxonici dicuntur; populus autem, materno modo directus, sub baculo pastoralis Abbatissae, non tantum bene vivendi rationem habuit, sed et in catholica fide firmiter persistebat.

Festo Assumptionis beatae Mariae Virginis, anno octingentesimo septuagesimo quarto, Alfredus diem supremum obiit et in ecclesia nunc cathedrali Essendiensi, a Pio Papa decimosecundo constituta, sepultus est, quotannis sollemni commemoratione celebratus et ob miracula eius invocatione obtenta, Sanctorum honoribus circumdatus. Ideoque Paulus

Papa sextus, ut in honorem sancti Alfredi Officium et Missa celebrarentur, benigne indulsit.

R. Iste est...

AD LAUDES

V. Iustum deduxit Dominus per vias rectas.

R. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

Oratio

Deus, qui ad fidem propagandam et cultum divinum promovendum beatum Alfredum Episcopum et Confessorum mira prudentia et virtute decorasti: concede propitius; ut, eius exemplis et intercessione suffulti, firmi in fide maneamus et ad regna caelestia perveniamus. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Hyacinthi Conf.:

Ant. Hic vir, despiciens mundum et terrena, triumphans, divitias caelo condidit ore, manu.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

R. Stulam gloriae induit eum.

Oratio

Deus, qui nos beati Hyacinthi Confessoris tui annua sollemnitate laetificas: concede propitius; ut, cuius natalicia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Ad Horas minores antiphona et psalmi de feria currenti.

AD VESPERAS

V. Iustum deduxit, ut ad Laudes.

Ad Magnif. ant. Amavit eum Dominus, * et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

Completorium de dominica.

APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Essendia, die 26 februarii 1964

KRAUTSCHEIDT

Vic. gen.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 25 februarii 1964

DR. C. HOFMANN

Vic. gen.

Concordat cum originali approbao.

Essendia, die 29. iulii 1965

KRAUTSCHEIDT

Vicarius generalis

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet